

## 1567. ZAGRABIAE.

*Maximilianus Rex Articulos, a SS. & OO. Regnorum Croatiae et Slavoniae in Generali eorum Congregatione, A. 1567 Zagrabiae habita, conditos, confirmat.*

Nos Maximilianus Secundus Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Comes Tyrolis. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Quod fideles Nostri Domini et Nobiles, caeterique Status et Ordines Regnorum Nostrorum Croatiae et Sclavoniae, in eorum Generali Conventu, Maiestatis Nostrae aedicto, ad festum beatii Mathei Apostoli proxime transactum, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Septimo, in Civitate Nostra Zagrabensi celebrato, transmiserunt et praesentarunt Nostrae Maiestati infrascriptos Articulos, in eadem ipsorum Congregatione communibus ipsorum Votis, et unanimi consensu conclusos, supplicantibus Nobis humillime, ut universos et singulos Articulos, omniaque et singula in eis contenta, ratos, gratos, et accepta habentes, nostrumque Regium consensum illis praebentes, nostraque propria Authoritate clementer acceptare, approbare, et confirmare dignaremur. Quorum quidem Articulorum tenor talis est.

Articuli Dominorum et Nobilium, aliorumque Statuum et Ordinum Regnum Croatiae et Sclavoniae, in Conventu eorum generali, per Sacratissimum Caesareo et Regiam Maiestatem ad festum beatii Mathei Apostoli proxime præteritum Anno Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Septimo Zagrabiae indicto, conclusi.

In primis et ante omnia iidem Status et Ordines, Reliquiae videlicet exiguae dictorum Regnum, Sacrae Caesareae et Regiae Maiestati Domino illorum clementissimo fidelia ipsorum servicia summa cum fidelitatis subiectione humillime offerunt, aguntque gratias immortales Sa. Maiestati Caesareae et Regiae, pro eius Maiestatis in tanta calamitate rerum gratia, quod Sa. Caes. et Regia Maiestas Dominus eorum clementissimus, ex pietate paterna Caes. et Regia, fundataque eius erga fideles suos benignitate, qua oppressis fidelibus suis subditis, in Calamitatibus et summis oppressionibus positis subvenire et succurrere dignata est. Signanter vero inter tot alias curas et sollicitudines Suae Caes. Maiestatis post Deum optimum maximum: Quod Reverendissimum ac Spectabilem et Magnificum Dominos Georgium Draskovith, Episcopum Ecclesiae Zagrabiensis ac Consiliarium Suae Maiestatis, et Comitem Franciscum Zluny de Frangepanibus, Segniae, Vegliae, Modrusiaeque Comitem, in dictorum Regnum eius Maiestatis Banos veluti Caput et defensores elegerit, constituerit, ac per Dominos Commissarios Generosos Videlicet ac Magnificos Stephanum Banphy de Alsolyndva, Comitem Comitatus Zaladiensis ac Dapiferorum Regalium Suae Maiestatis in Hungaria Magistrum ac Consiliarium, nec non Lucam Zekel de Kewend, liberum Baronem in Ormosd ac Confiniorum Croatiae et Sclavoniae generalem Capitaneum, item Balthasarem de Bathyan, Pyncernam Suae Maiestatis, et Generosum a Teuffenbach etc. gratiose duxerit praesentandos et cognoscen-